



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hexaēmeron Hē Toi, Kosmourgia, Georgiou tou Pisidou  
diakonou ...**

**Georgius <Pisida>**

**Lutetiae, 1585**

Dei præstantiſſimam sapientiam & essentiam neminem neque dicendo,  
neque cogitando assequi posse

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70102)

Ne partiatur duplici discrimine, vtriusque  
 Quod nusquam adest par sit vacanti essentia,  
 Sed singulis Vbique partibus respondeat.  
 Dictisq; ceu cuneis sibi aduersantibus,  
 Et Omnia, vnúmque, & quod est nusquam retrò  
 Vbique nectentes reclamanti sono,  
 Sententiarum stabile fulcrum figimus.

680 Quamquam altitudo orationis summa sit,  
 Elatus in sublime non vis reterege:  
 Sin euehantur corda ad arcem altissimam,  
 Reducis ea profunditatem ad infimam,  
 Vt longitudo nulla ad imum hoc deuolet,  
 Nec latitudo currat ad fastigium:  
 At fluxus immensorum ad immensum patens  
 Porrectione scinditur fusus tua.

Dei prestan-  
 tissimã sapien-  
 tiam & essen-  
 tiam neminem  
 neque dicendo  
 neque cogi-  
 tando assequi  
 posse.  
 Ex Psal. 138.

Vt, si loqui ita fas sit, quæ adhuc non condita  
 Coniunctione tui excitentur numinis.  
 1690 Insistis etenim, ac tum recedis quando ades,  
 Manes, fugisq; exilis, atque vmbrae in modum:  
 Dum detineris, prensionem tum effugis.

Sic ergo inexploto scientiæ tui  
 Amore captus, vineam & desiderans  
 Vindemiare conditorum à te omnium,  
 Quem carpam & amputem racemum nescio:  
 Nam dispari speculatione & vtili  
 Mentem meam diuido, premorq; angustiis,  
 Ad primaque aspirans, ab imis pertrahor,  
 1700 Atq; énato aduersis in vndis æquoris:

Alia diuini  
 operum confi-  
 deratio & ad-  
 miratio.